



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

II. De temporibus & diebus pacis regis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

II.

Ab aduentu Domini usque ad octauas epiphaniæ pax Dei & sanctæ ecclesiæ per omne regnum. Similiter a septuagesima usque ad octauas paschæ. Item ab ascensione Domini usque ad octauas pentecostes. Item omnibus diebus quatuor temporum. Item omnibus sabbatis ab hora nona, & tota die sequenti, usque ad diem Luna. Item vigiliis sanctæ Mariæ, sancti Michaelis, sancti Ioannis Baptista, apostolorum omnium, & sanctorum, quorum solennitates a sacerdotibus dominicis annuntiantur diebus, & omnium sanctorum in Kalendis Nouembris, semper ab hora nona vigiliarum, & subsequente solennitate. Item in parochiis, in quibus dedicationis dies obseruatur. Item in parochiis ecclesiarum, ubi propria festivitas sancti celebratur. Et si quis deuote ad celebrationem sancti adueniat, pacem habeat eundo, & subsistendo, & redeundo. Item omnibus Christianis ad ecclesiam causa orationis eundibus pax in eundo & redeundo sit eis. Similiter ad dedicaciones, ad Synodos, ad capitula venientibus, siue submoniti sint, siue per se quid agendum habuerint, sit summa pax. Etiam si excommunicatus aliquis absoluendi causa ad episcopum configurerit, absolutus, eundo & redeundo pacem Dei & sanctæ ecclesiæ habeat. Quod si aliquis ei forisfecerit, episcopus inde iustitiam faciat. Verumtamen si quis arrogans pro episcopi iustitia emendare noluerit, episcopus regi notum faciat. Rex autem constrainat malefactorem, ut emendet cui forisfecerit, scilicet primum episcopo, deinde sibi: & sic erunt duo gladii, & gladius gladium iuuabit.

III.

Vbicunque regis iustitia, vel cuiuscumque sit placita tenuerit, si missus episcopi veniens illuc apparuerit causam sanctæ ecclesiæ, ipsa primitus terminetur: iustum est enim ut vbique Deus præ ceteris honoretur.

IV.

Quicumque de ecclesia aliquid tenuerit, vel in fundo ecclesiæ mansionem habuerit, extra curiam ecclesiasticam coactus non placitabit, quamvis forisfecerit, nisi (quod absit) in curia ecclesiastica rectum defecrit.